

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

verbum Dei potest salvare animas nostras, Jac. 1. v. 21.

2. *Armillas duas*, quæ sunt duo Sacramenta, *Baptismus* est *sacramentum initiationis*, & quali porta primæ gratiæ, per quam ingredimur in Ecclesiam, & tanquam cives regni cælorum, nominibus nostris in librum vitæ inscribimur, unde Christus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cælorum, Joh. 3. v. 5. *Sacra* verò *Cæna* est *Sacramentum Confirmationis*, quo fides non modò excitatur, sed & roboratur, per pignus corporis & sanguinis Domini Jesu Christi pretiosissimum. Caro enim mea verus est cibus, & sanguis meus verè est potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in die novissimo, inquit Servator ipse, Joh. 6. v. 54.

Ecce! hi Spirituales Ecclesiæ thesauri sunt, quos Deus Ecclesiæ ministris concedit, ut iisdem scenerari, & multa animarum millia lucrari debeant, Matth. 25. v. 16.

Quoniam igitur hodiernâ Dominicâ Palmarum, Doctrina de Cænâ Domini in Ecclesiis A. C. hujus Civitatis tractari solet: Nos quoq; huic instituto nos conformabimus, postquam a. ante Annum, *Causam efficientem principalem* examinavimus: Hæc vice *Causam hujus Sacramenti materialem* contemplabimur, & quidem

I. *Materiam visibilem & terrestrem.*

II. *Materiam invisibilem & cælestem.*

J. J.

Exegesis.

Quemadmodum per diem tres apparatus ciborum fiunt, ab iis præferunt, qui

res manuaras faciunt, *jentaculum*, *prandium* & *cæna*.

Sic etiam Deus ter Opt. Max. hoc tricuplum tempus observavit cum hominibus. Patriarchis ante & post diluvium exhiberi fecit *jentaculum*, per Melchisedeckum, Regem in Salem. Revertenti enim Abrahamo, de prælio, in quo Kedorlaomor, percussit, obviam se ei ferebat Melchisedec Rex Salem, proferens panem & vinum, quò Abraham & servi ejus vires defessas reficere potuerunt, Gen. 14. 18. Habuerunt & præterea paucas guttulas de sacrificio Abelis, Gen. 4. 3. & Abrahami, Gen. 15. 9.

Deinde tempore Moysis Deus aliquantò lautius cibavit, & *prandium* instruxit: Ibi Judæi habebant panes propositionis, agnû Paschalem, Manna, & multiplicia illa sacrificia, quæ per Leviticum totum describuntur. Sed umbræ duntaxat, & Typi Christi erant, qui unâ sanctissimâ oblatione suâ consummavit in æternum eos, qui sanctificantur, Hebr. 10. v. 14.

In novo verò Testamento *sacram Cænam* instituit, in eaq; corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum ordinavit. Ecce, epulas lautissimas!

In Nuptiis Cananæ, Procurator Sponsum commendabat, quod bonum vinum usq; ad finem servasset, Joh. 2. 10. Sed multò magis laudem & gratiarum actionem meretur, quod cælestis noster Sponsus Christus Jesus, optimum vinum, quo tanquam medio, sanguinem suum in cænâ nobis exhibet, usque ad tempus correctionis reservavit, ut novi testamenti tempus appellatur, Hebr. 9. v. 12.

Quodsi verò de *Materia visibili* agimus, quam Dominus ipse ad communicationem corporis & sanguinis sui ordinavit, ibi

U 2

pri-

primùm invenimus, *verum & naturalem panem*, sicuti ex aquâ farinâ pistus est, nec refert, utrum sit rotundus aut oblongus, siliagineus sive triticeus, fermentatus vel non fermentatus, quantum enim ad hoc attinet, habet Ecclesia libertatem suam, in quâ meritò stat, Gal. 5. v. 1.

Deinde adest quoq; *verum & naturale vinum*, ut ex vite generatum, & uvis expressum est, & vicissim nihil interest, rubrumne an album illud sit, quod in Ecclesiæ arbitrio situm est, modò sit verum, naturale vinum, quod ita generatum, non factitium est, genimen vitis, ut Christus appellat, Matth. 26. v. 29.

Hæc ita externa media sunt, in quibus, eum quibus, & sub quibus, nobis Christus, verum suum corpus, & sanctissimum suum sanguinem, edendum & bibendum exhibet. Propterea adspiciamus ea,

I. *Tanquam Symbola divina clementia.* Deus enim spiritus est, Joh. 4. v. 24. & lucem inhabitat inaccessibilem, 1. Tim. 6. v. 16. Ideoq; nobiscum per media externa agit. *Condscendit nobis*, ut Chryostomus loquitur. Sicut aliàs quoque Spiritus sanctus linguâ & voce concionatoris utitur, ut iisdem fidem in hominum cordibus accendat & excitet: Eodem modo in sacrâ Cœnâ externis mediis panis & vini utitur, ut fidem per verbum in nobis accensam, confirmet, & roboret.

Veluti igitur aliàs panis naturalis hominem roborat, ejusq; vitam conservat: Sic Christus, panis ille vitæ de cælo descendit, ut daret vitam mundo, ut ipse ait, Joh. 6. v. 33. Et sicut vinum lætificat cor hominis, Ps. 104. 15. Sic etiam sanguis Christi, corda afflictorum exhilarat, ut impleantur spiritu, loquentes sibi metipsis in Psalmis & hy-

mnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes, in cordibus suis Domino, Eph. 5. v. 18. 19.

II. *Tanquam Symbola fraterna benevolentia.* Sicuti enim unum granulum alteri farinam, & acinus alteri succum suum libenter communicat, ut unus panis & unum vinum fiat: Sic nos quoq; unum corpus, & una anima sumus oportet:

Ex corde diligamus ut nos invicem,

In pace conservemus affectum & parem.
 Daß wir uns von Herzen einander lieben/
 Und in Frieden auff inem Sinne bleiben.
 Si cœnâ dignè uti velimus. Hinc Augustinus nominat eam, *sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis.* Ex quo consequitur, eum, qui sacrâ Cœnâ usus est, omnem inimicitiam & rancorem deponere debere, juxta illud, Matth. 5. 23. 24.

III. *Tanquam Symbola Christiana patientia.* Sicuti enim frumentum & vinum multis tribulationibus subiectum est. Frumentum enim tritandum, inter molares lapides conterendum & pinsendum: vinum verò calcandum primùm, dein torculari immitendum, prelo subdendum, & sic mustum primâ, iteratâq; pressurâ eliciendum est: Sic etiam nos in hæc miseriarum valle innumeris calamitatibus & pressuris subiectos esse oportet, si aliquando mundus panis & generosum vinum, mensâ cœlesti digni inveniri volumus, 2. Tim. 3. 12. Hebr. 10. 36.

Grana quidem tribulantur, & pinsuntur: Vinum calcatur, & torculari exprimitur: sed hoc modo perfectionem suam consequuntur, & scopum, ad quæ à Deo creati sunt: Sic si nos in torculari iræ divinæ probè pressi, & in furno miseriæ excocti fuerimus, in emolumentum nostrum cedit, ut fides nostra multò preciosior sit auro, quod per ignem probatur, 1. Pet. 3. 7.

IV. *Tan-*

IV. *Tanquam signa necessaria pœnitentia.* Sicut enim Christus in institutione hujus cœnæ pane azymo sive infermentato usus est, ut & nos Hostiis hodiè infermentatis utimur: Sic idem instruit nos, ut puro corde ad sacram cœnam accedere, & fermentum vetus expurgare debeamus, ut simus nova conspersio, sicut fumus azymæ. Etenim pascha nostrum, pro nobis immolatus est Christus &c. 1. Cor. 5. v. 7.

V. *Tanquam symbola cœlestis munificentia.* Licet enim hîc nihil, nisi naturalis panis, & naturale vinum oculis videatur, & linguâ gustetur: attamen visibilia hæc elementa, per consecrationem Sacerdotis, vi verborum institutionis Christi, à communi usu separantur, ut sint ὀχήματα, salutaria media, quibus Christus corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum, nobis exhibere promisit.

Sicut igitur in admirationem rapiebantur Israëlitarum, cum primum Manna viderent, ut dicerent: Manhu, sive, quid illud est? Sic & nos admiremur saluti feram hanc Domini nostri Jesu Christi institutionem, quod nobis in sacrâ cœnâ panem ostendit, & cum eo corpus suum ad edendum, vinumque ostendit, & cum eo sanguinem suum bibendum exhibet. Quod omnia miracula longè superat. Magna sunt opera Domini, investigata in omne beneplacitum eorum. Psalm. 111. v. 2.

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, materiam invisibilem & cœlestem contemplaturi. Quod est verum corpus, & verus sanguis, Domini nostri Jesu Christi. Idem illud corpus, quod pro nobis in mortem crucis tradidit, & idem ille sanguis,

quem pro nobis in arâ crucis effudit. Ita enim habent, verba institutionis: Accipite & bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.

Hic verum habemus legatum, quod nobis Christus, tanquam cœlestis testator, in sacrâ cœnâ instituit, & legati nomine relinquit. Sed à multis sinistrè exponitur, & intelligitur.

I. Nonnulli enim hîc peccant *in excessu*, ut Pontificii, qui existimant, post consecrationem illico panem & vinum in corpus & sanguinem Domini transmutari, ad modum uxoris Lothi, in statuum salis transformata, Gen. 19. v. 26. & aquæ, in nuptiis Cananæ in vinum versa. Joh. 2. v. 8.

Hoc figmentum, nullo sacræ scripturæ, præsertim verborum Institutionis, fundamento nititur. Filius Dei æternus, semel verum humanum corpus, ex Mariâ virgine adsumsit, hoc retinet in æternum, & valdè absurdum est, quod Adversarii nostri, quotidie vi verborum consecrationis, virtute magicâ, quam verbis institutionis recitatis affingunt, novum ipsi corpus ex pane formare volunt: sicuti ex eodem hoc fundamento, Sacrifici in libro, *Stella Clericorum* inscripto, *Creatores creatoris* appellantur. Quinimò, licet alias Mariam virginem plus æquo extollant, scribere tamen minus verentur, quod Sacrificola, respectu Missæ ipsi præferendus sit, quandoquidem Maria Christum semel tantum pepererit, hic verò, quoties Missam celebret, Christum creare & producere possit.

Nos verbis institutionis inhæremus, in quibus *transsubstantionis*, ut ipsi loqui ament, nullo apice mentio injicitur. **Chri-**